



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu
peragi possint

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Libera nos Domine.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

Memento pro Defunctis.

DUm *Memento* facio pro Defunctis, unio id orationi, quam submissè in Cruce fudit Dominus meus tribus horis, quibus orbis obvolutus tenebris. Dum autem *inclinans caput*, dico: *Per Christum Dominum nostrum*, video Christum in cruce caput inclinantem latroni converso, mihi que peccatori osculum pacis offerentem. Hinc recolens simul latronis ad Christum orationem: *Memento mei, dum veneris in regnum tuum*; dico cum magno animæ solatio: *Nobis quoque Peccatoribus,*

Oratio Dominica.

AD verba: *Per omnia secula seculorum*; altâ voce prolata, imaginor mihi, quòd Dominum meum post longum silentium audiam denuò loquentem, & quidem illa celebria septem verba, in quorum honorem ac memoriam septem orationis Dominicæ petitiones recito.

Libera nos Domine.

AD verba illa: *Libera nos Domine, &c.* & quòd osculum infigam patenæ, & quidem in loco, ubi signum est sanctæ Crucis, imaginor mihi plenam per Christum humani generis cum divina justitia reconciliationem, & quòd hæc pax virtute crucis coaluerit. Et quia per patenam, ut suprâ notatum est, significatur Domini mei divinitas, & hæc, sicut tempore passionis latuit, ita in cruce magis magisque paulatim denuò apparuit, & à latrone aliisque agnita est. Hinc patena ista jam quoque discooperitur, & sine involuero ad manum accipitur.

Qui-

Quiescit autem super illam manus, quia omnis crucis toleratio nititur Deo ejusque gratiâ.

In eadem oratione: *Libera nos*: dum dicendo verba hæc: *Per D. N. J. C.* hostiam divido, audio Dominum meum cum clamore valido emittentem spiritum, cogitoque animam ejus, dum hostiæ particula immittitur in calicem, descendere in limbum.

Agnus Dei cum seqq. Orationibus.

AD *Agnus Dei* audio mortuo Domino quosdam revertentes è monte Calvariæ percutere pectora sua dicendo: *Verè Filius Dei erat iste*, quod ego quoque dico. Dum orationes sequentes prosequor, Longinus Domini mei latus transfodit, è quo sanguis & aqua fluit. Ex hoc lateris vulnere teste S. August. nata est Ecclesia, ut Eva ex Adæ costa. Et hinc perappositiè etiam prima oratio est pro Ecclesia.

Domine non sum dignus.

DUM dico: *Panem caelestem accipiam*, imaginor mihi, quò Christum è cruce deponam, & sacratissimum corpus ejus unâ cum Josepho Arimathæo audacter, id est postposito omni humano respectu peram & venerer. Licet per triplicem pectoris tunctionem per verba illa, ter repetita: *Domine non sum dignus*, me eo indignum profitear ob meam vilitatem, peccata, & Dei Majestatem.

Sumptio.

DUM sumo Christum, imaginor mihi eum condi in sepulchrum, Et confundor doleoque